Nunquam edenda.

Mi charissime fili. Spero, vos commode pervenisse domum, et parentes incolumes invenisse. Eo die, quo profecti ~~e~~ estis, ante vesperam accepimus tristem nuncium de obitu fratris mei: Hermannus Groningâ redierat Bremam cum sorore nostra majore. Exspectaverat eorum adventum magno cum desiderio. Supervixit uno die. Usus est mente integra. Deo se commendavit studiose. Curam omnem à se rejecit. Increpavit flentes. Vesperi indormivit. in eo somno expiravit circa horam 3. matutinam d. 27. Julij stil. vet. Contigit ei, quod desideraverat, non mori Groningæ. Laboris, tædij, exilij finem ~~h~~ assecutus est. Reliquit nobis sui desiderium, et memoriam bonam. Cupidus fuerat visendi nos hac æstate. Nobis ita videtur, ut ad sequendum parenus nos. Nos lugubria assumimus. Facietis etiam vos, ut in Zelandia id mos flagitat in eo cognationis gradu. Si autem in Zeelandia is mos non est, abstinebitis. Cæteroquin nos eodem adhuc tenore valetudinis utimur. Res vestras cum his literis accipietis. Abendana nudiū ad me accessit. Salutabis uxorem, et utrumque parentem officiose. Cupio intelligere, patrem melius habere. Vale. a.d. 12. August. 1660.

Tui amantissimus

Joh. Coccejus.

Amantes vos salutant mei omnes

Reverendo et doctissimo
Viro D. Gulielmo
Anslario V.D.M.

tot Middelburgh
ten huyse van Myn Heer
Jacobus Anslaar bedie-
naer des H. Evangeliums.
met een Coffer en Hoedecasse
geteykent AA.

M 15